



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GORAKHPURENSIS*** DETRACTIS NONNULLIS
TERRITORIIS A DIOECESI

VARANASIENSI, IN INDIA, NOVA EPARCHIA RITUS

SYRO-MALABARENSIS CONDITUR, NOMINE **GORAKHPURENSIS** Ex quo divinum consilium
fuit ut universae Christi Ecclesiae praeficeremur, is unus articulus regnat in corde : quomodo Eius
sancta religio cuius custodes atque praecones hic in terris constituti sumus, latius propagetur, ac
quasi in animis populorum inolescat. Resonant enim in Nobis usquequaque verba illa Salvatoris : «
Euntes in mundum universum praedicate . . . qui crediderit . . . salvus erit ; qui vero non crediderit
condemnabitur »(cf. *Mc* 16, 15) : est ergo in Ecclesiae praedicatione posita salus animorum. Cum
ergo Venerabilis Frater Noster Ladislaus S. R. E. Cardinalis Rubin, Sacrae Congregationis pro
Ecclesiis Orientalibus Praefectus, audita sane Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione
atque Conferentia Episcoporum Indica, id proposuerit ut, divisa dioecesi Varanasiensi, iam nova
conderetur ; Nos re bene reputata, idque rati fore ut per hoc « Sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Tim* 3, 1), admotae sententiae accedentes, haec statuimus. Ab Ecclesia Varanasiensi Districtus,
quos dicunt, Gorakhpur, Basti ac Deoria distrahimus, eosque in novae Eparchiae formam
redigimus, Ritus Syro-Malabarensis, quem sacerdotibus e Congregatione Sanctae Teresiae seu «
Little Flower » regendam atque gubernandam concredimus, quorum laudabili opere atque labore
laeti fructus capti sunt. Nova Eparchia Gorakhpurensis cognominabitur, inque urbe Gorakhpur
Eparchus residebit cathedraliter collocabit, in construendo templo, quod scilicet cathedralē erit
cum iuribus atque privilegiis iustis. Ad cetera vero quod pertinet : mensam, videlicet, Seminarium,
cleri atque populi iura, similia, Ius Canonicum Orientale ad amussim servetur. Has autem Litteras
Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus et in India
Apostolicus Pro-Nuntius, ad exitum ducat, vel quem ipse legaverit, factis ad id necessariis
facultatibus. Re vero acta, sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus
mittantur, rite subscripta atque sigillo munita. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S.
Petrum, die undevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto,
Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

LADISLAUS Card. RUBIN

S. Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 11, pp. 945-946

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana